

*Secundi Andreeae, Regis Hierosolymitani, Articulus 31. de Anno 1222, certa  
sui in parte explanatur.*

#### Articulus 4.

**M**emores insuper existentes iidem Status et Ordines benignae propositionis ejusdem suae Majestatis Sacratissimae, reformationem quippe solius illius Clauses, seu potius Regibus contradicendi et resistendi licentiae, in Articulo 31. Secundi Andreeae Regis de Anno 1222. appositae, ex rationibus inibi recensitis instituendam innuentis; licet quidem ejusdem Articuli praeattacta in parte, probum sensum nonnisi quorundam privatorum prava Interpretatio in alienum praevericatum ne fors detorquere studuisse; saniorumque suae Majestatis Sacratissimae fidelium Statuum et Ordinum nunquam ea Mens fuisset; quod juxta illum (per malevolos et seditiosos obversum) contra legitimum Regem et Dominum suum quispiam Armis consurgere et sese erigere queat:

§. 1. Hoc nihilominus etiam in passu, pro ulterius contestanda devotione et humillima incontaminatae fidelitatis obligatione sua, ac radicitus eliminanda diffidentia, quae inter Regem et Regnum, eidemque annexas Partes, eapropter fors in futurum suboriri posset; iidem Status et Ordines demisse complacenti et subdito animo annuerunt; praenarratae Clauses, de contradicendi et resistendi licentia interpositae, a tenore et sensu praecitati Articuli 31. praensiserti Decreti Secundi Andreeae Regis, concomitanterque et inaugurali Juramento praenarrata forma deposito, mediante praesenti Articulari constitutione exclusae et semotae:

§. 2. In reliquo tamen, eodem Articulo et ejusdem Decreto in omnibus suis Punctis, Conditionibus et Clausulis in suo pristino vigore, et Statu permanente:

§. 3. Nulli ambigentes, quin potius nihil eo certius habentes; quam quod eadem Serenitas, ejusdemque praementio Haeredes et alii Successores, ad mentem quoque benignae Paternae suae Majestatis Sacratissimae oblationis, propositionaliter factae; sint eosdem Status et Ordines, eorundemque pariter Successores, in ipsorum Universis, communibus avitis Juribus, Privilegiis, Libertatibusque et Legibus (secundum praenotatos sui Diplomatis Articulos) in omne tempus Regalium suorum Sceptrorum pientissime manutenturi et indemnes conservaturi.

#### *De Sessione Magnatum.*

#### Articulus 10.

**S**iquidem non parvam Statibus et Ordinibus Regni hactenus attulisse comperiatur molestiam, dissidium inter Dominos Barones et Magnates, ratione Diaetae Sessionum in Domo Dominorum Magnatum et Procerum Regni subortum:

§. 1. Ad id deinceps avertendum et bonum ordinem servandum, serie subsequenti et praesenti statuto superinde condito provisum est (Venerabilis quidem Cleri Sessione, inter eundem mutuo et competenter, ad partem accommodata